



**R. P. Martini De Esparza Artieda, Navarri, Theologi Societ.
Iesv, Cvrsvs Theologicvs**

In decem Libros, & duos Tomos distributus, Ivxta Methodvm, Qva In
Scholis Societatis Iesv communiter traditur annis quaternis

Continens Primam Partem, & Primam Secundæ D. Thomæ. Ad Alexand.
VII. Pont. Max.

Esparza Arteida, Martin de

Lugduni, 1666

XV. Vtrum motium fidei esse primam veritatem reuelantem sit communis
Theologorum sententiæ?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94815](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94815)

QVÆSTIO XV.

*Vtrum motium Fidei esse primam
veritatem reuelantem, sit com-
munis Theologorum sententia?*



IDEIVR non esse. 1. Quia Aureolus, & Caietanus censent, motium Fidei esse veritatem præcisè sub conceptu Deitatis, quia in eam ultimò resoluitur Fides nostra. Ratio enim vltima, ob quam adhæret intellectus alicui perfectiōi diuinæ, est ipsam esse diuinam, atque ideo iuxta hos auctores Diuinitas est ratio formalis credendi.

2. D. Bonauentura, & alij existimant sufficere pro motiuo Fidei solam veritatem in cognoscendo, seu sapientiam diuinam solam. Durandus v. rō, & alij censent è contra, solam sufficere, & requiri veritatem in dicendo, seu impossibilitatem mentendi formaliter. Quia vtralibet ex his perfectio diuina includit in se sine vlla imperfectione totam perfectionem, quæ inest motiuo Fidei humanæ; idest, humanæ auctoritati. Cui nihilominus alij Theologi conformant magis motium Fidei diuinæ, dicentes illud esse auctoritatem diuinam secundum se, quatenus complectitur sapientiam, ratione cuius falli non potest, & veracitatem, ratione cuius non potest fallere, seu veritatem in cognoscendo, & in dicendo simul, quæ est solennis quæ plurimum sententia.

3. Quia prædicata necessaria Dei sunt indifferentia ex se, vt moueant proximè, aut non moueant ad nostros actus Fidei, eademque secundum se non connectuntur determinatè cum plerisque misterijs, quæ creduntur per Fidem; plures auctores adiiciunt tanquam motiuum partiale, reuelationem diuinam, internam, & æternam, qua Deus cognoscit, quod in tempore reuelat, vel potius qua vult in tempore reuelare; quia videlicet hinc habet perfectio diuina vim determinandi intellectum nostrum ad talem, vel talem assensum.

4. Gulielmus Parisiensis censet, Deum sub ratione supremi domini, & quatenus præcipientem, vt credamus, esse totum motiuum credendi; quia Fides nostra non est discursiua, nec tam rationibus intellectus comparatur, quàm exhibetur obsequio voluntatis.

5. Non pauci Doctores prædicatis adæquatè intrinsicè Deo superaddunt creatum aliquid, tanquam motiuum partiale Fidei, quatenus prædicata Dei secundum se non innotescunt ratione sui intellectui nostro. Necessè verò est, vt innotescat credenti motiuum cognoscendi, ac credendi. Quia de causa includunt in motiuo Canus, & Bannes reuelationem passiuam existentem in tempore, & nobis inhaerentem; nempe illuminationem, & illustrationem Spiritus Sancti, mouentis, & inclinantis per illam ad credendum. Suarez verò, Valent. & alij adiiciunt reuelationem externam factam in tempore per scripturam canonicam, aut legitimum ministrum verbi Dei. Quò etiam pertinet Durandus, docens, Fidem inniti auctoritate diuinæ, vt regenti Ecclesiam, & vt reuelanti scripturam; quæ reduplicatio manifestè aliquid superaddit prædicatis Dei secundum se, in ratione motiui Fidei. Ex quibus denique omnibus apparet, neque primam veritatem reuelantem, neque vllum aliud vnū prædicatum Dei esse motiuum formale Fidei, ex vnanimi Theologorum consensu; sed inter eos esse multiplicem hæc de re dissensionem.

R.P. Esparza Curs. Theol. Tom. I.

Art. 1. Resp. Consensus Theologorum vnanimis est vbique maximi faciendus; præcipuè verò in doctrina fundamentali Religionis, qualis hæc est, exponens motiuum, & vltimam resolutionem Fidei Catholicæ, qua in re multis videtur magnam esse dissensionem Theologorum: quæ tamen totum est respiciat quoad voces, & modos loquendi. Quapropter eadem opera exponetur dilucidè vera sententia, iuxta modum eam exprimendi maximè idoneum; & confirmabitur validè ex vnanimi Theologorum consensu. Vera sententia, & expressio eius maxime idonea est, primam veritatem reuelantem esse motiuum formale Fidei. Hanc sententiam exprimit in primis D. Th. 2. 2. qu. 1. ar. 2. Licet enim in initio corporis solam præmittat veritatem primam, immèdiate tamen demonstrat, se nihil discriminis agnoscere inter primam veritatem mouentem ad credendum, & primam veritatem reuelantem. Cum enim dixisset, *rationem formalem motiui esse primam veritatem solam*; mox subiungit rationem. *Non enim Fides, de qua loquimur, assensio alicui, nisi quod est à Deo reuelatum.* Quæ causalis esset inepta, nisi pro eodem viurparet, primam veritatem, quæ nos mouet ad credendum, & primam veritatem reuelantem, non solum realiter, sed etiam formaliter.

Art. 2. Pro cuius rei maiori claritate, notandum est cum Caietano, dum dicitur communiter, primam veritatem reuelantem esse motiuum Fidei, *To reuelantem*, accipi de reuelatione actiua existenti ab æternò, ac proinde intrinseca Deo. Quia per hanc primam, & præcipuè Deus constituitur in ratione reuelantis; atque per eandem habet totam sui determinationem ad reuelandum nobis in tempore, seu ad ponendam reuelationem externam, & passiuam in tempore; atque ad manifestandum nobis, mediante illa, obiectum, de quo est reuelatio, suumque conceptum circa illud. Vnde eadem reuelatio actiua, & interna est, quæ nos mouet, & determinat ad credendum. Quod enim determinat loquentem ad dicendum verum, determinat etiam, per se, audientem ad credendum illud esse verum.

Art. 3. Notandum est rursus, reuelationem istam actiuam Dei indistinctam etiam virtualiter à voluntate libera diuina reuelandi exterius in tempore, nullam perfectionem specialem intensiuam, aut extensiuam superaddere prædicatis necessariis Dei, siue realiter, siue virtualiter distinctam ab iisdem, vt dicitur in questionibus de Deo. Vnde eadem reuelatio, quatenus libera est, & virtualiter distincta à veritate necessaria Dei, est purum obliquum Diuinitatis; ac proinde significabilis ex natura rei insinuatitè tantum, & cum minori expressione, quàm eius rectum, idest, quàm prima veritas, & Diuinitas, iuxta dicta quæ præced.

Art. 4. Notandum denique est formalitates diuinas non esse distinguibiles à nobis ratione, nisi concipiendo diuinitatem reatè ad diuersa connotata creatura, hoc est, quatenus similis est diuersis rebus creatis, ad instar quarum ipsa concipitur. Cum enim Deus, dum sumus in via, non possit concipi à nobis nisi ænigmatice per species rerum creaturarum; dum earundem creaturarum speciebus vtimur pro eius cognitione, impossibile est, vt Deum non exprimamus quoad eandem formalitates; adeoque ad exprimendas formalitates diuersas, necesse est, vt vtamur diuersis rerum creaturarum speciebus, & consequenter, vt Deum ad diuersa connotata referamus: Ob eandem rationem necesse etiam est vice versa, vt dum Deum concipimus relatè ad diuersa connotata creatura, diuersas eius formalitates concipiamus, exprimamusque diuersimodè Deum, licet aliquando variis de causis viurpemus exterius eandem vocem, dum Deum efferimus.

Y y

cum

cum relatione ad diuersa entia creata. Nempe non possumus concipere Deum, nisi quatenus apparet in, & ex creaturis, quas habemus in mente, dum assurgimus in ipsum mediantibus illis, seu per species illarum. Quare dum concipimus creaturam productam à Deo, eo ipso formaliter concipimus Deum, vt potentem, & volentem producere; dum concipimus, vt gubernantem optimè creaturas, eo ipso concipimus formaliter sapientiam eius, & bonitatem, seu sapientiam quatenus habentem deuinctam sibi necessitatem gubernandi optimè, ex suppositione, quòd gubernet, ipsamque liberam suppositionem gubernandi, & sic de similibus.

Art. 5. Ex his patet, quo iure D. Thom. solam prius dixerit primam veritatem esse motiuum nostræ Fidei, ac deinde subiunxerit, tanquam quid prius æquiualens, etiam formaliter (nempe loquitur in sensu formali) primam veritatem reuelantem. Quia scilicet prima veritas concepta relatè ad actum, quo ei credimus, eo ipso concipitur, vt reuelans obiectum, quod credimus. Quare in nostra conclusione adiectum est, *To reuelantem*, maioris cuiusdam expressionis gratia, & non vt primæ veritati mouenti ad Fidem, ideoque includenti reuelationem in obliquo, noua formalitas adiceretur; ad eum ferè modum, quo definito adiectur definitio, non superaddens nouas formalitates, sed easdem exprimens clariùs.

Art. 6. Indidem infertur, Aureolum, & Caietanum, nihil re ipsa differre à D. Thomæ, veraque sententia. Quod quidem de Caietano mirum est, quòd controuertatur, & multò magis, quòd à quibuldam supponatur, vt certum, alterius eum fuisse opinionis, dum Diuinitatem dixit esse motiuum Fidei; cum ipse loco citato, §. *ad euidentiam eorum*, ac deinceps clarissimè pronuntiet, nihil differre, siue diuinitas, siue prima veritas, eaque reuelans asseratur motiuum Fidei, & se sub vtraque voce idem intelligere. Quia videlicet sub vtralibet voce concipitur Deus relatè ad eundem effectum; ideoque secundum eandem formalitatem, vt notatum est; sicut cum dicitur diuinitas creans, & omnipotentia creans; nisi quòd prima veritas respectu Fidei, sicut omnipotentia respectu creationis est vox magis appropriata, magisque exprimens Deum, vt respicit talem effectum. De Aureolo idem censendum est, atque de Caietano, præter ea, quæ mox subiiciuntur: quia vterque dicit idem.

Art. 7. Ratione hæud longè dissimili in concordiam reducuntur, qui recurrunt ad primam veritatem, vel præcisè in essendo, vel præcisè in cognoscendo, vel præcisè in dicendo, vel indiuisim sub his tribus simul rationibus formalibus; solum namque oportet, vt hæ formalitates explicentur legitimè. Prima veritas in essendo, est plenitudo omnis perfectionis, sine imperfectione, concepta relatè ad actus intellectus potentes affirmare verè de ipsa omnem perfectionem sine imperfectione: Nec enim est vllo pacto discernibile, aut distinguibile ratione primum ens, à primo vero, nisi cognitioni primi entis, siue Dei, superaddat cognitio primi veri relationem ad istud obliquum, vt liquet ex superiori tertia notatione. Prima veritas in cognoscendo est summa necessitas conformitatis cognitionum cum obiectis, summaque perfectio sapientiæ, tum speculatiuæ, tum practicæ, reddens proinde se ipsa formaliter impossibilem omnem operationem inhonestam, & turpem sapientis tali sapientia. Omnis quippe operatio inhonesta oritur ex cognitione imperfecta. Prima veritas in dicendo, est summa similiter necessitas conformitatis dictorum cum conceptibus dicentis; summaque perfectio tam physica, quam moralis voluntatis loquendi, præsupponentis proinde essentialiter, & formaliter ratione sui cognitionem certissimam conformem obiectis. Om-

nis quippè voluntas loquendi, non præsupponens talem cognitionem; adhibet locutionem, vel quæ significet rem ita se habere certissimè, vt dicitur, atque de hoc adesse loquenti certissimam, & indefectibilem cognitionem; atque tunc ea voluntas est moraliter imperfecta, & mendax, vt patet: vel adhibet locutionem, quæ non ita significet, atque tunc voluntas est imperfecta physice, vt potest permittens ne adhibeatur certissima Fides loquenti, neque is, aut ipsa voluntas loquendi in summo precio habeatur; sed potius contemnatur, idque licitè.


Art. 8. Iam verò ex eadem tertia notatione perspicitur clarè, plenitudinem omnis perfectionis sine imperfectione, licet concipiat relatè ad actus intellectus in communi; si simul consideretur in ordine ad actum, quo ei creditur, non posse non exprimi eo ipso specialiter, quoad perfectionem reuelantem; si quidem is actus Fidei est proprium connotatum specialis huius perfectionis. Esto eadem, quatenus talis, expressius concipiat relatè ad creatas internorum conceptuum manifestationes, seu reuelationes propter homogeneitatem prædicatorum. Perspicitur rursus, summam sapientiam speculatiuam, & practicam, quæ se ipsa reddat impossibilem omnem operationem inhonestam, eo ipso quod concipiat in ordine ad actum, quo ei creditur, concipi vt veram, etiam in dicendo. Quia hæc veritas, sola potest excludi operatione turpi, nempe voluntate mentiendi. Perspicitur denique summam perfectionem in dicendo, seu voluntatem dicendi summè perfectam, non posse concipi in ordine ad fidem ipsi adhibendam, quin concipiat perfectio essentialiter, ac formaliter præpositiua veritatis in cognoscendo. Omnes igitur auctores dissidentes circa triplicem eam veritatem Dei, dissident solum de vocibus, vel certè de sola maiori, aut minori expressione eiusdem formaliter perfectionis, atque ideo de triplici potius exprimendi modo eandem formalitatem disputant, quam de triplici perfectione formaliter diuersa, nec æquivalenti mutuo formaliter. Quod dissidium patet nullius esse momenti.

Art. 9. Hi porro auctores, qui longissimè videntur recessisse à D. Thomæ, vt Durandus, & Medina, quatenus auctoritati diuinæ adiungunt auctoritatem Ecclesiæ, facillimè omnium conciliantur cum eodem. Dicunt enim expressè auctoritatem Ecclesiæ mouere ad credendum, quatenus regitur à Spiritu Sancto. Hæc enim reduplicatio manifestè reuocat in auctoritatem diuinam, totam vim mouendi ad credendum, habente se auctoritate humana Ecclesiæ, solum vt conditione sine qua non, & regula extrinseca. Eodem sponte veniunt Suarez, & alij dicentes, reuelationem externam, & temporalem esse motiuum partiale Fidei, quia simul aduertunt auctoritatem diuinam, & reuelationem internam, ac æternam esse veluti formam, ex qua provenit tota perfectio, & firmitudo nostræ Fidei, eiusque discrimen à Fide humana; & reuelationem externam esse veluti materiam, ex qua Fidei Theologicæ solum provenit, quod est eidem commune cum Fide humana, hoc est apprehensio terminorum, quod nihil nocet veræ sententiæ, vt quælibet seq. patebit magis: vbi etiam expenditur doctrina, & coherentia nonnullorum dicentium expressius, auctoritatem humanam Ecclesiæ, vt humana est, esse motiuum partiale.

Art. 10. Qui verò dicunt, vt Granados, & alij, resolutionem Fidei partim fieri in habitum Fidei, aut in illustrationes, & inspirationes supernaturales Spiritus Sancti, non apparet, quo pacto à quibuldam immisceantur controuersie præsentis, quæ solum instituitur de resolutione obiectiua Fidei, in qua Granados omnino conuenit cum D. Thomæ; non verò in genere

genere causæ efficientis, aut formalis: sub quo continentur habitus, & illustrationes, ac inspirationes, de quibus dicitur infra seorsim. Nec magis est præsentî adducitur. Guilhelmus Parisiensis, vt assignans motuum voluntatis credendi dominium, & imperium diuinum, quatenus tale formaliter. Idem verò dominium, & Imperium, vt motuum actus credendi, nonnisi quatenus essentialiter præsupponit Sapientiam, & Veracitatem diuinæ reuelantes, & obicure apprehensas, & credibiles sine discursu, vt apparet ex tract. eius de Fide, cap. 1.

Art. 11. Cum igitur totidem sint, & non plures Theologorum Classes, sententiæ, & modi loquendi de hac materia, vt videre est apud Suar. disp. 3. per plures sectiones, necnon Card. de Lugo disp. 1. Granad. tract. & disp. 1. de Fide, à sect. 5. & Amic. disp. 2. sect. 1. alioque in præsentî satis constat, conclusionem positam esse reipsa conformem communi Theologorum consensui. Verum quia nonnulli videntur aliqua minus coherenter adiunxisse; alij minori, quàm opus esset, distinctione, ac distributione vlos esse, nostrum erit conari, vt coherencia omnium teneatur, ac demonstretur, & legitima singulorum sepositione, ac definitione res obicura tradatur clarè, quantum fieri potest. Quem in scopum ostendetur iuxta dicta, primam veritatem reuelantem ita esse motuum formale adequatum Fidei Theologicæ, vt prima veritas in cognoscendo, & dicendo, quatenus est perfectio Dei simpliciter necessaria, sit rectum eiusdem motui; hoc est, id vnde prouenit obiectiue tota perfectio propria, & peculiaris Fidei Catholica; reuelatio verò, quatenus est terminatio libera Dei, sit purum obliquum, hoc est, nullam ratione sui conferens perfectionem Fidei: Cætera autem omnia esse, vel puras conditiones sine quibus non, vel motiua Fidei præcisè quatenus est apprehensiuæ terminorum; & habet perfectionem communem cum aliis actibus. Atque per hæc omnia, quæ præmissa sunt, patet satis ad rationes dubitandi, & si quid ex eis superest adhuc explicandum, diluetur quæstione sequenti.



QVÆSTIO XVI.

Vtrum prima veritas reuelans, se sola sit motuum formale adequatum Fidei?



DETVR non esse. 1. Propter illud celebre Augustini testimonium cap. 5. contra epist. fundamenti. *Ego Euangelio non crederem, nisi me Catholica Ecclesia commoueret auctoritas.* Ergo auctoritas Ecclesiæ commouet, idest, partialiter mouet simul auctoritate Dei, qui est auctor Euangelij. Quod autem Augustinus loquatur de humana Ecclesiæ cum auctoritate, vt humana est, patet perspicue ex contextu eius Capituli, & ex comparatione auctoritatis Euangelij cum auctoritate Ecclesiæ, tanquam inter duas auctoritates, quatenus inter se realiter distinctas.

2. Auctoritas humana Ecclesiæ, & Ministri proponentis articulos Fidei, est in primis omnino necessaria ad credendum Fide diuina: Deinde continet in se inadequate perfectionem propriam actus Fidei, quandoquidem præcontinet in se certitudinem, vt minimum, moralem credendorum. Quod autem est eiusmodi, non est pura conditio sine qua non respectu actus Fidei, viliquet ex quæst. 14. Sed habet rationem veræ causæ partialis.

R. P. Esparza Curs. Theol. Tom. I.

3. Esto auctoritas humana Ecclesiæ secundum se præcisè considerata sit absolute fallibilis; tamen coniuncta cum omnibus circumstantiis, quæ illi de facto adiunguntur, idest, cum reuelatione Dei passiuæ adequatè sumpta, propterea comprehendit omnia argumenta Christianæ Fidei, quibus nititur credibilitas testimoniorum eius, habet metaphysicam infallibilitatem, & connexionem essentialem cum veritate credendorum. Ergo auctoritas humana Ecclesiæ, saltem coniuncta cum eiusmodi argumentis, atque etiam eadem argumenta seorsim, ac secundum se possunt esse motuum Fidei.

4. Si ea propositio, quæ de facto requiritur, & sufficit ad credendum Fide diuinam, esset pura applicatio auctoritatis diuinæ, & pura conditio sine qua non ad eandem Fidem concipiendam, quolibet à quolibet, & quomodolibet facta propositio, æquè sufficeret ad concipiendam eandem Fidem. Quia species determinata effectus non pendet à specie determinata applicationis, sed à sola determinata specie causæ, quæ applicatur, vt patet, in igne approximato ad passum, per vocationem, siue naturalem, siue supernaturalem. Sequela autem est absurda, vt patebit quæst. seq. ac deinceps.

Art. 1. Resp. An Deus sub conceptu primæ veritatis, potius quàm sub aliquo alio prædicato, seu formalitate, sit motuum formale Fidei, patet esse controuersiam leuem, ac nullius ferè momenti, ob ea, quæ dicta sunt quæst. præced. Quare quod reipso probandum est, hoc vnum est, Deum esse totum motuum Fidei Catholicæ. Quia verò id, de quo præcipue dubitari præterea posset, an simul cum Deo moueat immediatè intellectum nostrum ad credendum ipsi, est auctoritas humana Ecclesiæ, & Prædicatorum eius, in eius præcipue exclusionem à motuo Fidei incumbunt probationes veræ sententiæ, dicentis Deum solum esse motuum adequatum Fidei.

Art. 2. Est autem eam in rem clarum, & efficax testimonium Apostoli 1. ad Corinth. 2. *Prædicatio nostra non in persuasibilibus humane Sapientiæ verbis, sed in ostensione Spiritus, & virtutis, & fides vestra non sit in sapientia hominum, sed in virtute Dei.* Circa quæ ponderandum est primò, licet Paulus excludat à motuo Fidei omnia indiscriminatim, & quolibet humanæ Sapientiæ verba, siue sint magnæ, siue paræ auctoritatis; ea tamen ab eo excludi expressius, quæ sunt persuasibilia, idest, quæ magnam vim habent persuadendi ex sapientia dicentis; cætera verò tantum implicitè per argumentum à fortiori. Quare auctoritas humana Ecclesiæ, quò maior est, maioremque habet vim persuadendi ex sapientia, & bonitate propria confluentium ad eius constitutionem, eò expressius excluditur à motuo Fidei. Ergo expressius, ac immediatius opponitur Apostolo, qui docet humanam totius Ecclesiæ, aut lectissimorum in ea hominum maximum numerum propria auctoritate mouere posse ad Fidem diuinam, quàm qui diceret ad eandem mouere posse auctoritate sua propria, paucos, aut vnum tantum aliquem ex infima plebe Idiotam, prorsusque ignarum diuinorum.

Art. 3. Ponderandum rursus est proponenti aliquid credendum exclusa propria proponentis auctoritate, nihil posse credi, tametsi quis maximè velit ob propriam eius auctoritatem. Si quis enim diceret credendum esse, quod dicit Petrus, simulque adverteret se eam in rem auctoritatem suam interponere minimè velle; sed perinde id proponere cum propriis eorum, quæ dicit Petrus, assensu; atque si eidem dissensu, tunc propter aliquas proprias in contrarium rationes, planè quòd hic proponeret, credi ob auctoritatem eius propriam minimè posset; certè imprudentissimè, stulteque crederetur, cum qui loquitur, eam

Y y 2

non